



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

91. An Confessarij solicitantes in Confessionario sine vllatamen occasione
Confessionis debeant abiurare de leui: Et an verò idem dicendum sit de
Confessario solicitante paulò post vel paulò ante ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

414. Tract. IX. De Denunciatione facienda,

neque ut plurimum, ut illud facientes sint hæretici. Deinde factum hoc secundum ad hæresim longissimè distat, præsertim cum ad peccatum luxuriae, quod ibi interdicitur, homines maxime procumbant; ergo sollicitatio non potest majorem ingerere suspicionem, & ita intelligenda sunt verba Pontificis, *nos in animum inducere nequeunt*, &c. Nam Summus Pontifex solum vult indicare, non deesse in tali facto suspicionem; & hoc tanquam certum, manifestumque tradit; an verò dicta suspicio sit vehemens, vel levis reputanda, non declarat, unde stante hac opinione abjuratio imponenda Confessariis in confessione sollicitantibus, erit tantum de levi, & ita docet præter Soufam ubi supra, Ioseph Sesse loco cit. dec. 453. n. 5. & alij, & de hac questione infra redibit sermo in tract. de penis. Sed in hac questione ubi casus contigerit unusquisque sequatur styllum & praxim Inquisitionis suæ.

In ref. & §. not præterit.

RESOL. LXXXIX.

An quis teneatur denunciare Confessarium, qui propter sollicitationem alterius confessus abjuravit? Ex part. 1. tract. 4. Ref. 26.

Sup. hoc sup. §. 1. in ref. 31. & inf. lege doctrinam Ref. seq.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam tenet Martinus Bonacina in tract. var. disputat. 6. punct. ... pro-
pos. 2. num. 15.
2. Sed contrarium docet Sancius in selectis, disp. 11. num. 52. Peyrinus de priviis, Minim. tom. 2. Constitut. 4. Gregor. XV. §. 9. numero 32. & ante illos Freitas Additionator Roderici Acugna in tract. de Confess. sollicitant. quest. 3. num. 34. Et ratio hujus sententiæ erit, secundum mentem aliquorum Doctorum: quia, ut supra visum est, multi asserunt, quod quis non tenetur denunciare hæreticum emendatum: sed talis Confessarius, propter abjuracionem, censetur sufficienter emendatus: ergo minimè denunciandus erit.

§. p. in ref. quæ hic est 6.

RESOL. XC.

Alii Confessarius, qui abjuravit propter sollicitationes, si perseveret sollicitando, sit denunciandus ob præteritam sollicitationem? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 21.

Quæ hic est Ref. antecess. & lege aliam ejus primæ annot.

§. 2. **D**iximus in part. 1. tract. 4. resol. 26. non esse denunciandum Confessarium, qui propter sollicitationem alterius fuit penitus, & abjuravit; sed difficultas est si perseveret in sollicitationis vitio, utrum sit deferendus ob præteritam sollicitationem? & affirmativam sententiam docet Seraph. Freitas in tract. de Confess. sollicit. quest. 3. num. 34. Verum contrarium tenet Ioan. Sancius in selectis disput. 11. num. 53. Nam obligatio ad denunciandum ob præteritam sollicitationem extincta fuit eo ipso, quod sollicitans Confessarius ab Inquisitoribus punitus fuit, nec renascitur denunciandi obligatio, quia iterum in sollicitationis crimen incidit Confessarius, nec quicquam prodesse potest illa denuntiatio ad secundam punitionem infligendam, cum crimen illud ante primam punitionem fuisset commissum, & ad secundam punitionem solum sint attendenda delicta commissæ post primam, nam deterior non judicabitur Confessarius, quia modò revelentur aliqua sollicitationis delicta ante primam punitionem patrata, sed ex eo quod post unam punitionem in alia nova crimina sollicitationis fuerit lapsus, primam monitionem, seu punitionem spernens. Ita Sancius. Verum ego puro non esse rece-

dendum ab opinione affirmativa quam docet Freitas loco citato.

2. Adde quod non est verum id, quod asserit Sancius, nempe nihil prodesse istam denunciationem ad secundam punitionem infligendam, nam Inquisitores graviores penas pro pluribus sollicitationibus, quam pro una rependere solent, & in causa hæresis accedente nova probatione reus iterum punitur, & condemnatur: ergo, &c.

RESOL. XCI.

An Confessarij sollicitantes in Confessionario, sine ulla tamen occasione confessionis debeant abjurare? Et an vero idem dicendum sit de Confessario sollicitante paulo post, vel paulo ante confessionem? Et quid quoad alios casus, quando sollicitatio fit in Confessionario? Ex p. 4. tr. 5. Ref. 50.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Antonius Soufa post opusc. de Confess. sollicit. in annot. ad Ref. Bullam Gregor. XV. num. 16. & 17. ubi docet sollicitantes in confessionario non esse de fide suspectos, quia tunc ex aliquo facto colligitur hæresis suspicio, quando vel factum illud est conjunctum cum hæresi, vel quando qui illum exequitur, invenitur hæreticus; sed neutrum istorum in proposito reperitur, ergo nulla ex eo colligi debet hæresis suspicio. Minor quoad primam partem ostenditur, quoniam ea hæresis posset dici conjuncta cum tali sollicitatione, quæ nostris temporibus negat auricularem confessionem: ab hac autem longissimè abest sollicitatio illa, cum nulla ibi invenitur confessio etiam inchoata. Secunda pars non aliter probari potest, quam experientia, quæ nullum adhuc sollicitantem hæreticum invenit. Ita Soufa.

2. Deinde confirmatur hæc opinio, quia Confessarij sollicitantes ideo sunt suspecti, unde abjurant de levi, quia per actum sollicitationis injuriam inferunt Sacramento in ipsius Sacramenti substantia, qualis est quæ materiæ, seu formam Sacramenti, aut ad illud ex parte penitentis necessariam dispositionem tollit, & ideo Summi Pontifices Pius IV. Paulus V. & Gregor. XV. in suis constitutionibus fiscaliterunt. Nos in animum inducere nequeunt, quod qui de fide Catholica rectè senserint, Sacramentis à Christo Domino nostro institutis abjurant, aut illis injuriam faciant. Sed in nostro casu Confessarius sollicitans non abutitur Sacramento, neque illi injuriam facit, ut patet, quia non sollicitat in confessione, neque ex ulla occasione, aut prætextu confessionis; ergo non potest dici suspectus de fide, atque ideo nulla abjuratio illi imponenda erit, sed aliis penis puniatur Inquisitorum arbitrio.

3. An verò idem dicendum sit de Confessario sollicitante paulo post, vel paulo ante confessionem, dubium esse potest, nam talis non videtur esse de fide suspectus, ut probat idem Soufa opusc. de Confess. sollicit. tr. 1. cap. 18. n. 13. Seclaus aliquibus casibus: nam qui cum possit sollicitare in actu confessionis, in quo fortè sollicitandi occasio erit opportunior (tunc enim scemina conscientiam suam manifestante peccata carnis confitente, Confessori faciliè occurret occasio in aggravandis, vel faciendis peccatis propalandi animum impudicum) & id in tam opportuna occasione facere non vult, sed sollicitationem differt, vel anticipat, manifeste ostendit, nolle se integritatem & perfectionem Sacramenti commaculare; ergo, ut dictum est, talis Confessarius non est de fide suspectus: ergo non debet abjurare.

4. Sed ego puro quoad hunc ultimum casum de Confessaria

Ex Edicto DD. Inquisitor. &c. Ref. XCII. 415.

Confessario solicitante paulo ante, vel post confessionem, omnino abjuracionem ei indicendam esse, quia qui paulo ante, vel post confessionem sollicitat poenitentem, dicitur sollicitare in ipsamet confessione, ut tradunt Doctores communiter, & ego probavi in 3. par. tract. 4. res. 14.

5. Quoad alios verò casus quando sollicitatio fit in confessionario, &c. Soula, ut doctum est, ubi supra, & in ap. in Inquis. lib. 1. cap. 3. 4. num. 68 docet Confessarium sollicitantem non debere abjurare, sed tu cogita, quia supradicti casus enumerati à Soula includuntur à Pontifice simul cum aliis casibus, in quibus sollicitantes abjurant de levi, & Pontifex, ut loquitur de istis casibus inducentibus secundum Soulam suspensionem, loquitur eodem modo de illis, quos negat Soula suspensionem inducere, unde postquam absolute, & sine ulla distinctione enumerasset Pontifex omnes supradictos casus, postea subiungit ut Inquisitores Ordinarii super his prout in causis fidei inquitant & procedant: ergo, &c. Unde revera debent abjurare, prout in Rom. & universali Inquisitione observatur.

RESOL. XCII.

An Confessarius in Confessionario tantum sollicitans extra actum confessionis debeat abjurare?

Et observatur, quod potest Tribunal S. Officii recognoscere Confessarios sollicitantes, etiam si non iudicentur suspecti de hæresi, & potest tales punire.

Et an Inquisitores possint imponere Confessariis Regularibus sollicitantibus, quod teneant ultimum locum inter Regulares sui Monasterij in Choro, & Refectorio, & in aliis locis, & aliquando mandare, ut sententia contra Confessarium Regularem lata publice legatur in proximo Capitulo Generali sue Religionis? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 43. alias 41.

1. Negativam sententiam nominatim contra me docet Carena par. 2. tit. 6. §. 16. num. 81. & ad meum argumentum respondet, quod verba Bullæ, *Sicut in causis fidei*, possint commode intelligi, quoad ordinem procedendi, eo utique modo intelligenda sunt, maxime id suadentibus verbis ipsius Constitutionis, ibi, *Inquirent, & procedant*. Si enim Pontifex voluisset, quod etiam causa terminaretur, illud utique dixisset, & cum de terminatione causarum Papa ibi mentionem non fecerit, intelligitur eam voluisse reservare dispositioni juris; secundum quam Confessarii sollicitantes in Confessione, & propè eam, quia abutuntur Sacramento, expediuntur ut suspecti de hæresi; sollicitantes verò in Confessione tantummodo, uti non abutentes Sacramento, & per consequens non suspecti, non possunt expediti ut suspecti. Secundo respondetur, quod regula illa juris de una determinatione respiciente plura determinabilia cessat, ubi eadem ratio non militat in omnibus determinabilibus. *Surdus conf. 66. n. 19. vol. 1.* Hic autem militat sine dubio diversa ratio, quam supra proximè consideravimus. Ita Carena.

2. Sed adversus illum in mei defensionem insurgit novissimè Pater Ioseph Ianuarius de *Casibus reser. res. 55. num. 9.* ubi sic ait: Sunt suspecti de hæresi, non solum Confessarii sollicitantes in confessione, sed etiam sollicitantes in Confessionario, vel in hoc loquentes obscena, & turpia, nulla habita, neque simulata Confessione. Sicut qui non in Confessionario, sed alio in loco confessionem simulat; & ideo hi debent abjurare saltem de levi: quicquid contra dicat Carena. Ratio asseritur à Fagundez; quia licet

Gregorius XV. in criminalibus additis, ac declaratis in hac sua constitutione non dicat tales de crimine hæresis esse suspectos, id supposuit ex verbis Constitutionis Pij IV. ibi insertæ, & se approbatæ, & confirmatæ; & sic verba utriusque Constitutionis sunt veluti in uno contextu; & unica terminatione terminata, leg. *Item hoc jur. ff. de vulg. l. Quamvis Cod. de Imp.* Cum ergo in Constitutione Pij IV. hi deperditi homines sint declarati de crimine hæresis suspecti, consequenter, & etiam additi à Gregorio XV. Addo quod nisi essent de crimine hæresis suspecti non posset assignari ratio, cur essent denunciandi ad Tribunal Sancti Officii, ad quod spectat cognoscere de causis fidei, vel habentibus connexionem cum fide. Nec obstat dictum Carena, quod etiam Inquisitores Hispaniæ habent facultatem procedendi contra Sodomitas, & tamen hi non abjurant, neque de levi. Quia contra Sodomitas procedunt Inquisitores ex speciali delegatione Gregorij XIII. sub die 13. Augusti 1574. non verò tanquam contra suspectos de hæresi, & ideo ceteri Inquisitores aliorum Regnorum non procedunt contra tales. At in casu nostro proceditur contra Confessarios in Confessionario sollicitantes tanquam contra suspectos de hæresi, &c. Vt Sammi Pontifices se explicant, ideo enim volunt ut contra eos procedant Inquisitores. Huicque Ianuarius. Et ita nostram sententiam contra Carenam tenet etiam Fagundez præcept. 2. *Eccles. lib. 4. cap. 3. num. 80.* & Escobar de *Confess. sollicit. part. 1. quest. 1. num. 16.*

3. Observent tamen hic DD. Inquisitores, id quod ego in eorum favorem olim docui, quod potest Tribunal S. Officii recognoscere Confessarios sollicitantes etiam si non iudicentur suspecti de hæresi, & potest tales punire; quia cognitio horum sine restrictione est concessa Inquisitoribus in Bullis Summorum Pontificum, Et ita me citato tenet Escobar, ubi supra, quod vocat singulare; & etiam me citato Ianuarius.

4. Nota quod Carena, *part. 2. tit. 6. §. 17. n. 89.* putat, posse Inquisitores imponere Confessariis Regularibus quod teneant ultimum locum inter Regulares sui monasterij in Choro, Refectorio, & aliis locis. Et aliquando debent Inquisitores mandare, ut sententia contra Confessarium Regularem lata, publice legatur in proximo Capitulo sue Religionis generali, & hoc ad aliorum terrorem, & exemplum. Sed hæc omnia non approbat Pater Bordonus in *Sacro Tribunali, cap. 23. quest. 38. numer. 114.* ubi sic ait: Inquisitorem mandare posse lectionem sententiæ Regularis condemnati in Capitulo Generali ad terrorem & exemplum aliorum; quod non probo, quia id est aliquale jus in Capitulo, quod nullibi invenio concessum Inquisitoribus. Sufficerent autem publicantur privatis literis huiusmodi delicta apud Regulares. Displicet etiam quod adjungit, Inquisitorem posse infligere poenam ultimi loci inter suos Comprofessos; quia in Bulla Gregoriana sufficerent exprimuntur poenæ huiusmodi sollicitatoribus imponendæ. Ita Bordonus. Sed sententia Carenae observatur in Tribunali nostræ Inquisitionis Hispaniæ, & illam ego praticavi: Et ideo non est audiendus Bordonus & nostram sententiam contra illum, præter Carenam tenet Castrus Palaus, *tom. 1. tract. 4. disputat. 9. numero 2.* & novissimè Ianuarius ubi supra, *res. 55. num. 23.*

RESOL. XCIII.

An Confessarius Regularis ex abjuracione præter so-

M m 4 licè